



# Disputatio juridica inauguralis de arbitris compromissariis

<https://hdl.handle.net/1874/345793>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE

Arbitris Compromissariis,

Q U A M,  
FAVENTE DEO OPT. MAX.  
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. JOHANNIS LEUSDEN,


Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri  
Academia Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON  
Amplissimi Senatûs Academici consensu, & Nobilissima  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS.

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitime consequendis,

Publico Examine submitto  
MATTHEUS VAN ECK, Thylâ Geldrus.  
A. D. XIV. MARTII, horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō lōc xciiv.



*Gravissimis Clarissimis Consultissimis*

*VIRIS,*

**D. JACOBO COCK, J. U. D.**

Reip. Thylanæ Consuli, eruditionis ac judicii dexteritate spectatissimo; jurisperitissimo Viro, Avunculo meo charissimo ac plurimum colendo, Curatori suo fidissimo,

**D. ADRIANO MENTHEN,**

Reip. Arnhemienfis Consuli, Camerae Rationum Ducatus Gelriae & Comitatus Zutphaniae Auditori spectatissimo diligentissimoque, nunc ad Collegium Architalascicum Noort-Hollandiae Deputato, maximi ingenii & judicii Viro, cognato meo, omni officiorum genere nunquam non colendo, prosequendo,

**D. JOHANNI van ECK, J. U. D.**

Reip. Arnhemienfis Consuli prudentissimo, Curiae Ducatus Gelriae & Comitatus Zutphaniae Graphiario dignissimo & à Secretis primo, agnato meo, omni reverentiae cultu observando, Curatori suo fidissimo,

**D. CORNELIO van ECK, J. U. D.**

Ejusdemque Facultatis in Academia Trajectina Professori Ordinario, Jcto Acutissimo, agnato suo, de me studiisque meis optime merito, plurimum venerando,

*Hanc Disputationem Inauguralem  
sacram esse volo.*

**MATTHEUS VAN ECK**



## Arbitris Compromissariis.

## C A P. I.



E Lectori Benevolo molestus si-  
nimis tritis & quotidianis præfationi-  
bus, rem ipsam aggrediar.

Arbitrorum nomen (1.) adeo late  
patet, ut infrequens non sit, veros  
quoque Judices arbitros dici, ut plu-  
rimum illos, qui cognoscebant in Ju-  
diciis bonæ fidei divisoriiis, familiæ  
erciscundæ communi dividundo, §. 1.

*Inst. de act. l. 24. ff. depos. l. 38. ff. pro soc. l. ult. ff. rem pup.  
salv. fore. l. ult. ff. famil. ercisc. l. 15. 17. C. eod. l. 15. ff. de re  
jud. §. 31. Inst. de act.*

(2.) Arbitri sunt, qui a magistratu eliguntur, non ut  
cognoscant de negotio principali, sed tantum ad ali-  
quem peculiarem actum, veluti in satisfactionibus ad pro-  
bandos fidejussores; *l. 9. ff. qui satisfac. cogunt.* An causæ  
suspicionis ad recusandum judicem sufficiant; *l. ult. C. de  
jud.* Ad ineundam quantitatem bonorum, ubi de Falcidiæ  
detractione quæstio est. *l. 1. §. 6. si cui plus quam per L.  
Falc.*

(3.) Eos, qui a partibus litigantibus eliguntur, ex ne-  
cessitate juris, atque ita non liberâ voluntate, in locum  
judicis recusati, arbitros juris dicere solemus *l. 16. C. de  
Jud.*

(4.) Qui consensu privatorum interveniunt, & adhi-  
bentur ut nudi mediatores, ut experiantur, an consilio,



vel auctoritate sua litem dirimere possint. l. 13. §. 3. ff. h. t. idque in actibus extrajudicialibus, ut in contractibus, cum de re aliqua inter ipsos contrahentes non convenit: veluti si in Contractu Societatis partes Sociorum, in emptione pretium, in locatione merces certæ personæ arbitrio definienda permittatur. l. 75. & seqq. ff. pro soc. l. ult. C. de contr. empt. l. 24. princ. l. 26. ff. locat. cond. l. 7. ff. de cont. empt. Vel ut alia controversia sine ordine Judicii, sine pœnæ promissione amicabiliter componatur. l. ult. c. ubi & apud quem cognit. rest. in integ. l. pen. C. h. t. d. l. 303. ff. h. t. l. 76. ff. pro soc. atque hos appellant arbitratōres.

(5.) Arbitri, dicuntur, qui libero partium consensu designantur, ut causam specie quadam & figura judicii cognoscant & decident. Hi autem appellantur *Arbitri Compromissarii*, & *arbitri Recepti*. Ad hos pertinet Edictum Prætoris, de *His qui arbitrium receperunt, ut sententiam dicant*. Talis arbiter vocatur a Calistrato in l. 41. ff. h. t. *Judex Compromissarius*. qui definitur quod sit *Judex, libero partium consensu & Compromisso, controversia terminanda gratiâ electus, qui officium illud suscepit*. Nam ut merâ & liberâ voluntate eliguntur, ita officium hoc ipsis invitis non injungitur. l. 3. §. 1. ff. h. t. Dicitur *Judex*. l. pen. ff. de jud. l. 5. ff. de V. O. sed latius judicis vocabulo sumpto: nam proprie judex non est, quoniam privatorum Consensus judicem facere non potest; l. 3. C. de Jurisd. sed propter affinitatem, quam cum veris iudicibus habet, eo quod partibus iudicis fungatur; ita ut quæcunque judex observat in cognoscendo, eadem arbitro observanda sint, nisi specialiter contrarium definitum sit. l. 1. l. 13. §. 2. ff. h. t. l. pen. ff. d. 14. C. de jud.

C I A P I T U L U M

**E**Ligitur arbiter per Compromissum, quod nihil aliud est quam *Promissum reciprocum, quo duo vel plures invicem promittunt, servaturos se, quod arbitri electi de controversia suâ pronuntiaturi sunt*. In multis rebus autem convenit Compromissum



missum cum iudicio, ut rectissime scripserit Paulus: *Compromissum ad similitudinem iudiciorum redactum esse. l. 1. ff. h. t.* ac prima quidem similitudo consistit in fine, qui ambobus unus idemque est propositus, videlicet, finis litium: nam ut iudicium ac sententia iudicis remedium est finiendarum litium, *l. 1. ff. de re jud. & tit. ff. de exc. rei. jud.* ita & Compromissum & Sententia arbitri ad finiendas lites pertinet. *l. 1. ff. h. t.* Ratione agendi imitatur iudicia in principio, in actione & libelli oblatione; in medio, in dilationibus dandis, & producendis probationibus; in fine, in sententia dicenda. Narratio actoris & contradictio rei, sive litis contestatio, coram arbitro quoque necessaria est. *l. unic. C. de liti. contest. l. 14. C. de jud.* Cujus ut in iudicio effectus est, quod interrumpat longi temporis præscriptionem, ita etiam, quando ipsum negotium ab arbitro tractatum est, interrumpitur longi temporis præscriptio, quasi in ordinario iudicio lis fuisset inchoata *l. pen. §. pen. C. h. t.* Constitutio legis *12. C. de jud.* de instantia triennio finienda, ad Compromissa quoque pertinet. Ut in iudicio reo licet renunciare exceptioni fori declinatoriæ, ita in Compromisso coram arbitro renunciatio exceptionis procedit. *l. pen. C. de pact.* Ut autem in his & multis aliis conveniunt, ita etiam a se invicem discrepant: Namque Compromissum non parit exceptionem, quam *litis pendentia* vocant *l. 30. ff. h. t. l. 2. C. ut. lit. pend.* Nemo coram arbitro mutuam petitionem sive reconventionem sustinere cogitur, nisi nominatim ita compromissum sit *l. 21. §. 6. ff. h. t. l. 32. §. 15. ff. eod. l. 14. C. de sent. & interl.* Nulla datur actio aut exceptio rei iudicatæ ex sententia arbitri, neque vim rei iudicatæ habet. *l. 1. C. h. t. l. 13. §. 5. ff. de his qui nat. infam.*

Ad iudicium invitus quis adigitur; *l. 38. princ. ff. de V. O.* nemo autem compromissum facere cogitur; sed posteaquam semel compromissum est, jam resilire amplius non potest. Secundum quosdam differentia in eo quoque consistit, quod coram iudice actor debeat præstare cautionem de lite persequendâ: quam coram arbitro præsta-



re non habet necesse *Bart. ad Nov. 112. §. ad excludendas num. 7.*

## C A P. III.

**C**Ausa efficiens Compromissi est consensus Compromittentium, & eorum in quos compromittitur. Compromittere possunt omnes, qui liberam rerum suarum administrationem, & legitimam personam standi in iudicio habent. Itaque frustra compromittunt pupilli. *l. 27. §. 5. ff. h. t. l. 35. ff. cod.* quoniam Compromissum eo sustinetur, si ex stipulatione agi possit contra non parentem, pupillus autem non obligatur ex promissione sua, nisi compromiserit tutore auctore, quo casu tenebit ipso iure Compromissum. *arg. l. 55. ff. h. t.* Licet si forte læsus sit, possit restitui in integrum. *t. t. ff. de Minor.* Vel nisi compromiserit non adhibita curatoris auctoritate, sed fidejussorem dederit: enim ab eo pœna exigi potest, si pupillus sententiæ arbitri stare noluerit. *d. l. 35.* Non possunt Compromittere illi qui propter defectum iudicii consentire nequeunt, veluti furiosi & mente capti. *l. 47. §. 1. ff. h. t.* Sed & mulieres prohibentur alieno nomine compromittere ex causa intercessionis. *l. 32. §. 2. ff. h. t.* quod fit quando promittunt se, quod arbiter in aliorum causâ pronunciaverit, soluturas sub consuetâ pœnâ.

Tutores & Curatores non simpliciter compromittere ventantur, sed ad certum modum: nimirum super rebus immobilibus, in quibus præter auctoritatem tutoris necessarium est decretum Prætoris *arg. l. 4. 6. C. de prad. & al. reb. min.* Administratores quoque civitatis compromittere possunt, dum ne id faciant ambitiose & in fraudem civitatis. *l. 1. 2. C. de transact. l. 4. ff. de Decr. ab ord. fac. l. 2. ff. de adm. rer. ad civit. pertin.*



## C A P. IV.

**A**rbitorum officio fungi possunt omnes, qui in jure non inveniuntur prohibiti, propter statum, conditionem, ætatem. Pedius & Pomponius, referente Ulpiano, responderunt parum referre, ingenuus sit, an libertinus, integræ famæ, an ignominiosus. *l. 7. ff. b. t.* Etiam minor 25 annis, quem tamen 20 annis majorem esse oportet: Nam L. Julia cautum est, nemini licere minorem viginti annis Compromissarium judicem eligere:

Quia pœna ex sententiâ ejus nullo modo committitur. *l. 41. ff. b. t.* Sed si quis major viginti annis, & tamen minor 25 annis semel arbitrium receperit, & sua facilitate fuerit læsus, adversus coactionem, quæ alias in arbitros parata esse solet, succurrendum erit ipsi, per in integrum restitutionem *d. l. 41. ff. b. t.* Circa ætatem judicum non nihil variatum est, nam progressu temporis à sanctione L. Julix aliquatenus recessum est, unde si hodie major sit 18. annis non prohibetur *arg. l. 57. ff. de re jud.* ubi talis potest esse Judex, modo partes hoc sciant, quæ in eum consentiebant. Filiusfamilias haud dubie etiam arbiter esse potest *l. 5. ff. b. t.* quin etiam de re patris dicitur filiumfamilias arbitrum esse posse. Nam & judicem eum esse posse plerisque placet *l. 6. ff. b. t.* pender enim id à libera electione partium, altera namque pars sibi imputare debet, quod in talem arbitrum consenserit *l. 27. §. 2. ff. b. t.* proinde quia instar judicis est, non attenditur jus potestatis. *l. 77. ff. de jud.*

In mulierem non compromittitur *l. ult. C. b. t.* in quam Cujacius *art. 13. obs. 23.* olim compromitti potuisse putabat, sed verius est, eam nec olim arbitrium recipere potuisse *l. 2. ff. de R. J. l. 1. §. 5. ff. de Post.* quod tamen fallit in mulieribus jurisdictionem habentibus ex jure Canonico *Cap. 4. X. de arbitris.* Excluduntur etiam pupilli, furiosi, sordi, & muti *l. 9. §. 1. ff. b. t.* Servi *l. 7. §. 1. l. 8. h. t.* Magistratus, qui tam magnum imperium habent, ut cogi

non



non possint : nam qui in aliquo magistratu positi sunt, pari aut superiore, ut Consul, aut Prætor, non possunt cogi à Præto ad arbitrandum, sicut privatus, qui semel arbitrium recepit. *l. 3. §. ult. l. 4. ff. h. t.* Par in parem non habet imperium, multo minus inferior in superiorem *l. 13. §. 14. ff. ad SC. Trebell.*

Non valet quoque Compromissum in iudicem ordinarium, in causis, quæ sunt ejus naturæ, ut ab eodem iudice debeant decidi; nam lex Julia prohibet, ne de ea causâ in iudicem ordinarium compromittatur, quæ alias ab eodem judicanda est *l. 9. §. 2. ff. h. t. l. 4. ff. de tutor. Et jnr. dat.* ratio est, quod sententia arbitri, nec exceptionem, nec actionem rei judicatæ parit, quodque is, contra quem pronunciarunt arbitri, non prohibetur, præstitâ poenâ, causam de integro agere. Atqui absurdum esset, ut arbiter tum tanquam iudex de eadem causa judicaret. Cæterum uti nemo in sua causa judicat; *l. 7. in fin. ff. de jud. l. 10. ff. de jurisd. l. 13. ff. quod met. t. t. C. ne quis in sua causa jud.* ita neque arbiter in sua causa quisquam esse potest *l. pen. ff. h. t.* ubi & ratio additur à Martiano: quia nec imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest, nam omne imperium proprie dictum adversus alios exercetur, non in se ipsum. Potest & alia ratio hujus juris assignari; quia amor sui plerosque mortales transversos agit, & cæcos reddit in propriis rebus, unde nihil aliud expectandum foret, nisi ut perverfa proficiscerentur judicia, sive arbitria.

#### C A P. V.

**A**Rbitri assumi possunt vel unus vel plures, pari vel impari numero. Rectius tamen partes fecerint, si impari numero assumant arbitros, propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem, & quoniam hoc modo lis melius exitum habitura est, quia si forte dissentiant inter se arbitri, statur arbitrio majoris partis. Si tamen in duos compromissum sit, & in dicenda sententia non conveniant, Prætor



Prætor eos cogere poterit, tertium aliquem eligere, cuius auctoritati & arbitrio pareatur, *l. 17. §. 5. ff. h. t.* Ne autem opus esset eiusmodi coactione Prætoris de eligendo tertio, solebant ipsi compromittentes hoc adjicere, & mandare, ut si forte dissentiant, tertium assumerent *d. l. 17. §. 5.* ubi notandum id tum demum utiliter fieri, si certa persona tertii assumendi designetur: cæteroquin, compromissum foret inutile, quoniam in eligendo tertio possent dissentire. Quamvis multa in compromissis tribuantur voluntati litigantium, conveniri tamen non potest, ut arbiter talem sententiam proferat, qualis ut pronuncaretur inter litigatores convenerit. Hoc casu nullum est arbitrium; neque cogitur arbiter sententiam dicere, ut refert Paulus ex Juhano *l. 19. ff. h. t.* secus si in judiciis talis conventio celebrata sit. *l. 26. ff. de Re Jud.* Ratio differentiæ non est difficilis: Quia arbiter, cui non permittitur liberum arbitrium, sed, quid pronunciare debeat, præscribitur, non amplius est arbiter *l. 17. §. 3. ff. h. t.* similiter si arbiter, cum ea potestas compromisso ei data esset, condemnaverit non parentem in aureos C. fisco exsolvendos: nullam eo nomine fiscus habet actionem *l. 42. ff. h. t.*

## C A P. VI.

**A**D constitutionem Compromissi vel arbitrii pertinet, ut causæ sint habiles. Nec enim super quibusvis rebus in arbitrum compromitti potest, & imprimis exceptæ sunt causæ publicorum delictorum *l. 32. §. 6. ff. h. t.* cum enim tantum metu pœnalis stipulationis pareatur sententiæ arbitri, non potest per hanc delictis digna irrogari pœna: ideo non potest compromissum facere, quo minus reus ex causa publici criminis ad ordinarium magistratum trahatur, ut subjiciatur publicæ vindictæ, & vigori publicæ disciplinæ. Huic enim, sicut transactio privatorum de crimine nihil præjudicare potest, ut docet Delrio ad *L. transigere C. de transact.* ita neque compromissum quicquam detra-

B

here



here debet. Et potest is, qui jurisdictioni præest, nulla habita ratione compromissi, nihilominus criminis publici reos ad supplicium rapere, & poenâ afficere.

Excipiuntur etiam causæ quæ infamiam irrogant *l. 32. §. 6. ff. b. t.* si tamen de famosis delictis sententiam dixerit, fama partis damnatæ salva manet. *l. 13. §. 5. ff. de his qui infam.* Quæ ratio inhibet in judiciis publicis compromissum, eadem in judiciis popularibus, ut ne recte compromittatur, facit, cum per illas defendatur jus populi. *l. 32. §. 7. ff. b. t.* Excipiuntur denique causæ status, super libertate aut ingenuitate *d. l. 32. §. 2. ff. b. t.* quoniam, ut ibi traditur, favor earum causarum exposcit majores judices, item causæ pupillares vel tutelares *arg. l. 3. princ. ff. b. t. causæ restitutionis in integrum. l. ult. C. ubi cogn. rest.*

### C A P. VII.

**A**ctum est de personis & objecto Compromissi: superest ut hoc capite de forma ejus videamus. Hæc in eo consistit, ut litigaturi promittant, se staturos ei, quod arbiter pronunciaverit. *l. 27. §. ult. ff. b. t.* Hoc ut effectum fortiri possit compromittitur, sub poena: in hac enim tota vis sententiæ ratione jaris subsistit, debet autem utrimque poena in stipulatum deduci *l. 11. §. 4. ff. b. t.* & quidem pura, non sub conditione, quoniam post dictam sententiam posset deficere conditio, atque ita sententia destitui suo effectu *l. 11. §. 5. ff. b. t.* si tamen conditio adjecta fuerit, hoc in casu curabit Prætor, ut, si dies compromissi possit proferri, proferatur. *l. 12. ff. b. t.* Parum refert an poena minor vel major sit, quam res ipsa, de qua disceptatur *l. 32. princ. ff. b. t.* nec interest an poena pecuniaria sit, modo alia ratione sententia arbitri obtineri possit. *l. 11. §. 2. ff. b. t.* Est & alia compromittendi forma, quæ licet nec pecunia, nec res sit in stipulatione, simpliciter conventum est sententiæ stari, quo casu incerti datur actio *l. 27. §. ult. l. 28. ff. b. t.* Hoc ipso enim sese ad factum obligant.

gant, quod qui non præstant, ad interesse tenentur. *l. 13. ff. de re. jud.* Unde & pœnæ adjectio non est absolutæ necessitatis, postquam ille modus compromittendi invaluit, & receptum est agi posse quanti ea res erit, id est, quanti inter est victoris sententiam observari, *l. 27. §. ult. l. 28. ff. h. t. l. 5. C. eod.* Denique compromitti potest, ut res apud arbitrum deponatur, ea lege, ut ei detur qui vicerit, vel ut eam amittat, qui sententiæ non paruerit *l. 11. §. 2. ff. h. t.* vel si debitores mutuo paciscantur, eum non petitorum, qui sententiæ, non steterit. *l. 11. §. 3. ff. h. t.* Accedit modus compromittendi per jusjurandum partium compromittentium *l. 4. C. h. t.* quod tamen sustulit Justinianus, *auth. decernit C. h. t.* quæ desumpta est ex *Nov. 82. c. 11. §. 1.* quia vel perjurium foret necessarium, vel sententia arbitri inevitabilis; quod naturæ Compromissi, & publicæ Judiciorum auctoritati adversum est: jure tamen Canonico tale juramentum est servandum. *C. 2. X. h. t.*

## C A P. VIII.

**J**Us Compromissi, & officium arbitri in eo consistit, ut omnibus, quæ in compromisso desiderantur adhibitis, causam instar judicis cognoscat. *l. 13. princ. C. de jud.* Laudoque, sive sententiâ suâ litem determinet. *l. 21. l. 19. §. 1. l. 13. §. 2. ff. h. t.* Quod si recuset, aut tergiversetur, hæc est vis Compromissi recepti, ut remediis Prætorii cogi possit, ad sententiam diendam. *l. 3. §. 1. l. 32. §. 14. ff. h. t.* Nam nemo quidem invitus arbitrium recipere tenetur, verum, eo semel suscepto, invitus ad hoc a Prætoribus cogi potest. *l. 3. §. 1. ff. h. t.* verba legis hæc sunt: *Tametsi neminem Prætor cogat arbitrium recipere, quoniam hæc res libera & soluta est, & extra necessitatem jurisdictionis posita, at tamen, ubi semel quis in se receperit arbitrium, ad curam & sollicitudinem suam hanc rem pertinere putat Prætor: non tantum quod studeat lites finire, verum quoniam non debent decipi, qui eum quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerunt. Finge enim*



post causam jam semel atque iterum tractatam, post nudata utriusque intima, & secreta negotii aperta, arbitrum vel gratia dantem, vel sordibus corruptum, vel alia qua ex causa nolle sententiam dicere, quisquam ne potest negare, aequissimum fore Prætorum interponere se debuisse, ut officium quod in se recepit, impleret?

Porro Arbitri officium est, ut nihil faciat, nisi quod in ipso Compromisso continetur: Totum enim officium ejus ex Compromisso dependet, & nihil efficere potest, nisi quod in eo cautum est. *l. 32. §. 15. l. 21. ff. h. t.*

Etsi verò Prætor dicat, se arbitrum sententiam dicere coacturum, quibusdam tamen casibus causam cognitam non cogitur. Nimirum si à partibus sit contemptus aut infamatus *l. 9. §. 4. ff. h. t.* vel si ipsæ partes deseruerunt arbitrum, & eum spreverunt, alio adito arbitro vel iudice *l. 9. §. 4. l. 10. 11. ff. h. t. l. 17. §. 1. ff. h. t.* item si mutua stipulatio non intercessit, veluti si alter poenam promisit, alter non *l. 11. §. 4. ff. h. t.* aut si alter litigantium bonis cesserit *l. 17. princ. ff. h. t.* aut si inimicitiam capitales intercesserint, inter arbitrum & alterum litigantium: aut ætas, aut adversa valetudo, aut occupatio priorum negotiorum, vel alia fontica causa postea superveniat. *l. 15. 16 ff. h. t.*

#### C A P. IX.

**S**icut Judex debet proferre certam sententiam §. 34. *Inst. de act.* (nam sententia sine certa quantitate prolata ipso jure nulla est. *l. 3. §. 4. C. de sent. qua sine certa quant. prol.*) Ita & arbiter inutiliter dicit sententiam incertam *l. 21. §. 3. ff. h. t.* in qua lege obvia sunt exempla incertæ sententiæ, qualis etiam fuit illa Claudii Imperatoris sententia, quam ex tabella pronunciabat de quodam negotio: *Secundum eos sentio, qui vera proposuerunt*, ut est apud Sueton. in ejus vita. Ratio cur certa esse debeat sententia utrobique, tam in Judiciis, quam Arbitris, est, quia aliquin officio suo non potest fungi: non poterit enim alter controversiæ finem imponere, sed potius lites ex litibus nascerentur: quæ tamen



tamen Legislator & Prætor omnibus modis cavere & avertere debent. *l. 21. & seqq. ff. de reb. cred.* Certa sententia non est tantum ea, quæ certam rem vel quantitatem continet, atque exprimit nominatim: sed etiam quæ se refert ad libellum conventionis, vel ad instrumentum obligationis, in judicio prolatum atque recognitum, vel ad aliquam partem actorum, vel etiam ad leges & jus publicum. *d. l. 3. C. de sent. qua sine cert. quant. prol.* Nam ex his modis certam sententiam dici posse, evincit *arg. l. 6. ff. si cert. per.*

Sicut incerta sententia improbaur, ita & semiplena; oportet enim arbitrum, plenam proferre sententiam, quæ totam controversiam definiat *l. 19. ff. b. t. l. 9. C. de jud. l. 3. 5. C. Th. de peric. sent. ex recit.* Ferenda sententia partibus præsentibus *l. 27. §. 4. ff. b. t.* Lex 49. §. 1. *ff. b. t.* jubet adesse vel ipsos principales, vel eorum procuratores, si per illos velint agere *l. 32. §. 18. ff. b. t.* Si partes citatæ non compareant, arbiter non tenetur sententiam ferre, nisi ita compromissum sit, ut vel unâ, vel etiam utrâque absente, liceat ferre sententiam *l. 27. §. 4. ff. b. t.* ut tamen pœna non committatur, si alter ex justâ causâ absit *l. 21. §. 9. ff. b. t.* Porro debet ferre sententiam intra diem in Compromisso præfinitum, *l. 50. ff. b. t.* nisi arbiter juret de causâ sibi nondum liquere, tunc enim absolvendus est reus, vel arbitro dandum spatium ad pronuncianandum *l. 1. 3. §. ult. ff. b. t.* Nisi arbitro ex conventionem partium facultas diei prorogandi concessa sit *l. 32. §. 11. ult. l. 32. §. 1. l. 27. in princ. ff. b. t.* si vero dies non sit adjectus, arbitri est, litigantibus diem præfinire; quod si neglexerit, omni die & tempore cogitur sententiam dicere *l. 14. ff. b. t.*

Si plures sint arbitri, oportet omnes convenire, ad sententiam dicendam, ita ut si alteruter eorum abest, sententia cum effectu pronunciarî non possit *l. 17. in fin. l. 18. ff. b. t.* fuit enim in plures compromissum, & fieri potuit, ut absens, si adfuisset, auctoritate sua & rationibus, cæteros in sententiam suam pertraxisset: & quoniam id demum, quod major pars arbitrorum judicavit, ratum



habetur si omnes præsentés fuerint. Hinc Rob. Maranta recte ait; quando plures sunt iudices delegati, item plures arbitri, non posse unum sine alio procedere: *part. 4. de Ord. jud. dist. 5. num. 30. 31.* Sed si plures sint iudices ordinarii, tunc posse unum sine alio procedere, nam in his unusquisque habet officium in solidum. Quid si tres arbitri diversas sententias dixerint, ut si unus in quindecim, alius in decem, tertius in quinque condemnaverit; Ulpianus *l. 27. §. 5. ff. b. t.* ubi primo declarat, si plures diversas sententias dixerint, quod liceat sententiæ eorum non dari, sed si major pars consentiat ei stabitur, atque hic cum major pars, duo videlicet in decem consenserint, videtur quod tali sententiæ debeat dari. Sed Julianus inquirendo rationem, aliter resoluit, quinque videlicet debere præstari, quia in hanc summam tres aliquatenus consenserunt, propterea quod minor summa majori inest, juxta regulam, quod in obscuris, quod minimum est sequamur, *l. 2. ff. de R. 7. & hoc communiter obtinet, cum de summa vel quantitate agitur, secus si in aliis rebus arbitri diversas sententias dixerint, quia nulla ratio est, cur una alteri præferatur, cum omnium par sit ratio.*

## C A P. X.

**S**ententia arbitri, quæ etiam laudum appellatur, hunc habet effectum, quod partes compromittentes, sive æqua, sive iniqua sit, ei stare teneantur *l. 27. §. 2. licet adversarii non intersit sententiæ dari l. 38. h. t. l. 3. §. 1. d. V. O.* nisi sententia aliquid inhonesti aut contra bonos mores contineat. *l. 21. §. 7. h. t.* Duplici autem ratione parere coguntur partes: scilicet vel efflagitatione pœnæ promissæ. *l. 2. l. 21. §. 4. ff. l. 2. 1. C. h. t.* vel interesse, si nulla pœna promissa sit, *d. l. 27. §. ult. h. t.* vel etiam quando sententiæ latæ partes subscripserunt, aut intra decennium non contradixere (quo casu vulgò laudum homologatum dicitur) tum actio in factum, & exceptio competit, & in-

& instar iudicati sententia executioni datur. *l. 4. §. 4. & ult. l. C. b. t.* Secus de jure veteri, quo intra decem dies resilire licuit compromittentibus, sine præjudicio, cum ex pacto non derur actio *d. l. 5. §. ult. C. b. t.* nisi juramentum compromisso accessisset, & hoc per scripturam probaretur, quo casu Justinianus actionem & exceptionem seu executionem ex sententia arbitri dedit *d. l. 4. §. C. b. t.* quod tamen juramentum postea prohibitum fuisse ab eodem Justiniano supra demonstravi. Habet & hunc effectum, quod a sententia arbitri ex compromisso jure perfecto appellari non potest. *l. 27. §. 2. l. 32. §. 14.* exstat hæc de re rescriptum Antonini in *l. 1. C. b. t.*

Sane ab arbitro in locum judicis suspecti surrogato & a sententia arbitratorum à magistratu datorum appellari potest, & in arbitratorum sententiis reductionem locum habere, ad arbitrium boni viri per ordinariam actionem vel exceptionem. *l. 76. in fin. l. 79. ff. pro Soc.* expeditum est. Cæterum licet ab arbitro compromissario nequeat appellari, si tamen pars læsa probare possit, gratia aut fordiliter corruptum arbitrum iniquam sententiam dixisse, placuit per protestationem, intra decem dies iudici vel adversario missam, posse recedi ab iniqua sententia *l. pen. C. b. t.* Poterit & uti exceptione doli, eaque repellere adversarium, qui agit ex stipulatione ad pœnam *l. 3. C. b. t.* Per hanc ergo exceptionem quædam appellandi species est, cum liceat retractare de sententia arbitri, & non parere sententiæ *l. 32. §. 14. ff. b. t.* nec huic exceptoni, etiamsi lapsi sint decem dies, aut juratum compromissum, præsumitur quis renunciaisse *l. 3. §. 1. l. 31. ff. b. t.* Ita tamen ut (ni pars læsa expresse approbaverit sententiam latam) arbiter, si male judicaverit, ad similitudinem judicis litem suam facit & actione in factum tenetur. *l. pen. C. de Pañ.* Ac licet querelæ nullitatis, vel exceptioni doli mali renunciaverint litigantes, nihil tamen hoc prodest arbitris. Quemadmodum iudex, posteaquam dedit sententiam, in ea causa est, ut desinat esse iudex, nec potest

mutare.



mutare sententiam suam definitivam, quia semel officio suo perfunctus est, seu bene, seu male, *l. 55. ff. de re. jud.* Cujus juris ratio hæc est, non quia non liceat corrigere errorem, quem quis semel commiserit: sed quia Reipublicæ interest, ut rerum judicatarum autoritas sit firma & constans *arg. l. pen. ff. de J. & J.* Sic etiam arbiter, postquam condemnavit vel absolvit reum, arbiter esse definit *l. 19. §. ult. & l. seqq. ff. h. t.* Sicut autem judex potest interlocutoriam suam mutare aut corrigere *l. 14. ff. de re jud.* ita arbiter quoque mutare potest, quod jussit aut vetuit ad causæ præparationem pertinens, non verò ad firmandum arbitrium *d. l. 19. §. ult. ff. h. t.* in qua lege Pauli notandum, laudari Cassium, qui bene excusat sententiam magistri sui Sabini. Quod si sententia arbitri ipso jure nulla sit, nequaquam ei standum est *l. 1. 3. ult. C. h. t. l. 3. princ. l. 7. §. 1. l. 19. §. 1. h. t.* Sicut judicis sententiam exequitur Prætor, sic etiam arbitri *l. 15. ff. de re jud.* ipse judex & arbiter a se dictam sententiam exequi non potest: quia executio non fit sine aliquo imperio: judex autem & arbiter, ut homines privati, imperium & jurisdictionem nullam habent, sed tantum notionem, sine simplicem causæ cognitionem: Imperium & jurisdictione magistratus propria sunt. Cui consequens, ut si judex simul etiam sit magistratus, aut si compromissum sit in eum, qui aliquo magistratu fungitur, sicut fieri posse supra dixi: quamvis id fiat rarius: eo casu ipsosmet sententias a se dictas, posse executioni mandare, non tamen qua judices vel arbitri sunt, sed qua magistratus.

## C A P. X I.

**S**olvitur Compromissum. (1.) Si arbiter vel alteruter litigantium mortuis fuerit *l. 23. §. 3. b. t.* nam apparet formam Compromissi esse angustæ interpretationis & personas non egreditur: & nisi nominatim aliter cautum sit,



fit, heredem Compromittentis non obligat, ita Ulpianus in *l. 27. §. 1. h. t. l. 49. §. ult. ff. h. t.* (2.) Si dies certa præfinita sit, intra quam diceret sententiam arbiter, non data potestate proferendi, tum nec alio die jubere adesse partes, nec sententiam dicere potest *l. 21. §. 8. l. 32. §. 3. ff. h. t.* Si tamen ipse arbiter in mora fuit, cogitur novum suscipere Compromissum, si partes velint *l. 21. §. 5. ff. h. t.* (3.) Dicitur Compromissum solvi acceptilatione *l. 32. §. 3. ff. h. t.* si alter scilicet alterum liberaverit obligatione pœnali quoniam ita effectum non habitura est sententia arbitri, & videtur hac ratione tacite a Compromisso recessum: qua de causa nec arbitrum hoc casu Prætor sententiam dicere cogit *l. 13. princ. ff. h. t.* (4.) Si pactum de non petendo, scilicet pœnam, intercesserit; quæ sententia est *d. l. 32. §. 3. ff. h. t.* (5.) Compromissum solvitur si partes causam ad iudicem ordinarium detulerint *l. 30. ff. h. t.* (6.) Si pœna semel commissa sit *l. 32. §. 1. ff. h. t.* Quia tum nihil habet arbiter; quod faciat aut jubeat, quippe cura pœna semel commissa est, in cæteris impune non potest pareri, cum nihil amplius sit, cujus metu ille sententiæ adstringatur nichoc actum sit, & conventum, ut sæpius pœna committatur *l. 34. §. 1. ff. h. t.* (7.) Ob impedimentum fonticæ causæ, veluti si arbitro Sacerdotium sit delatum *l. 32. §. 4. ff. h. t.* Secus si Sacerdos assumpsit arbitrium, tum enim non debent decipi partes & debet arbiter cogi, ut quibus diebus vocat a sacris, sententiam dicat, *d. l. 32. §. 4. h. t.* (8.) Interitu rei controversæ *l. 34. §. 5. ff. h. t.* (9.) Si de re fuerit transactum *d. l. 32. §. 3. 5.* (10.) Si alteruter litigantium bonis cesserit. *l. 17. ff. h. t.* (11.) Ultimo loco Compromissum finitum aut ipso jure, aut ope exceptionis: per exceptionem, cum arbiter excusetur aut non cogitur sententiam dicere, ex causis in *l. 15. cum l. seqq. ff. h. t. velatis.*



# COROLLARIA.

**P**actum de inequalibus lucri & damni partibus inter socios valet, licet equalis & opera & pecuniæ collatio.

I I.

**F**uri luendi pignoris præscribi potest spatium 30. vel 40. annorum.

I I.

**B**onæ fidei possessor omnes fructus tam naturales quam industriales percipiendo suos facit.

I V.

**S**tipulatio sua natura sine præcedente debiti causa producit actionem.


V.

**R**editio unius Chirographi ex pluribus non inducit tacitum pactum de remisso debito.

V I.

**S**implex donatio regulariter non confertur.

F I N I S.





# COROLLARIA

I.

*Præterea de iniquitate ipsius et deinde postea  
de rebus suis etiam de rebus suis etiam de  
rebus de rebus collatis*

II.

*De rebus suis etiam de rebus suis etiam de  
rebus de rebus collatis*

III.

*De rebus suis etiam de rebus suis etiam de  
rebus de rebus collatis*

*De rebus suis etiam de rebus suis etiam de  
rebus de rebus collatis*

IV.

*De rebus suis etiam de rebus suis etiam de  
rebus de rebus collatis*

V.

*De rebus suis etiam de rebus suis etiam de  
rebus de rebus collatis*

F I N I S

